



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 6. Caduca in Mundo, omnia, cælo perdurante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

S. Am-
bros. l. I.
Hexaem.
cap. I.

ptum seruent, quo ipso quondam illius regionis indicant perpetuitatem. Sic D. Ambrosius, magnitudine & pulchritudine Solis perpensa, digito monstrari scribit, ex ipsa siderum formositate, magnitudine, duratione, Conditoris pulchritudinem, immensitatem, & æternitatem, cuius creatæ venustati, ac moli, & æuo incomparabiliter anteponendam Si enim, quæ fixa sunt & stabilia, caducis; si magna paruis, si vera vanis, si fugitiuis æterna bona censentur meliora, quàm facile est, inter hæc inferiora, & illa superiora discernere? inter lutum & aurum, inter vitra & gemmas facere electionem?

§. VI.

Caduca, in mundo omnia, calo perdurante.

Blandiuntur flores? nullus ultra mensem suum perdurat. Arrident silvæ? exciduntur, aut ventis sternuntur, aut conflaurant, aut senio arescunt. Allicit elegans vultus? Nihil formâ fugacius, adeo ut Phauorinus pronunciet: post paucos annos, in viuente etiam nū Alcibiade, quondam pulcherrimo, ab ijs ipsis, qui eius formam demirati aliàs fuerant, Alcibiadem quæsitum fuisse. Virent prata? flauescunt arua?

Phauo-
rin. apud
Stobæum
serm. 66.

arua? florent vineæ? prata inundans flu-
uius, arua imber, vineas grando destruit.
Defendunt te ædes, arcēs, vrbes? poten-
tem faciunt arma; diuitem rura, felicem
clara pignora, & penè immortalem multi
nepotes? hos omnes mors auferet; rura
accident alluuiōnes; arma hostis. Denique
nulla tam est firma domus, nulla arx tam
celsa, nulla tam potens ciuitas, quam ter-
ræ motus non possit solo æquare. Hæc vbi
conspexeris, aliò oculos conuerte, & disces
dicere: *Heu quàm sordet terra, cùm cælum
aspicio!* Quò nos manu ducens D. Chry-
sostomus, *Vides cælum hoc, inquit, quàm
pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum
sit, quemadmodum vario stellarum ordine ex-
ornetur, & splendeat, quantum edurare po-
tuerit temporis? Iam enim quinq; millia an-
norum, atq; etiam plus seruatur, & constat,
nec tamen, longo temporis spatio effectum est,
vt senescat, sed ad modum corporis adolescentis
robusti floret, vigetq; atate; & quàm principio
sortitum est pulchritudinem, eandem inte-
gerrimam seruat, nulla ex parte factum de-
terius, tanto spatio temporis.* Hæc sedes bea-
torum nullo motu, nullo attritu, nulla
tempestate destruetur. Tanto igitur opta-
bilior est, quanto diuturnior. §. VII.

S. Chry-
sost. homi-
2. contr.
Anomaz-
os.